Quelle: https://manuscripta.at/?ID=812
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

uineam christi · id est ecclesiam eiusdem uastare et depredari
non pertimescit · pauperes christi quos precioso sanguine suo redemit
uiolenter opprimens et interficiens · et bona eorum diripiens ·
Unde quia filius huius nostrae ecclesiae cui deo auctore presidimus
debuerat esse · quia in ea per aquam et spiritum sanctum renatus est et
inter adoptiuos filios dei annumeratus · quamuis modo filius
diaboli sit imitando diabolum · solliciti ne per negligentiam
pastoralem aliqua de ouibus nobis creditis depereat · pro qua
in tremendo iudicio ante principem pastorum dominum nostrum
ihesum christum rationem reddere compelleremur · iuxta quod ipse
terribiliter nobis comminatur dicens · Si non annuntiaue
ritis iniquo iniquitatem suam · sanguinem eius de manu
tua requiram · misimus ad eum presbiterum nostrum et litteras
commonitorias semel et iterum atque tercio inuitantes eum
canonice ad emendacionem et satisfactionem et penitenciam
corripientes eum paterno affectu · Sed ipse prohdolor diabo
lo cor eius indurante monita salutaria spreuit · et in in
cepta malicia perseuerans ecclesiae dei quam lesit · superbie spiritu
inflatus satisfacere dedignatur · De talibus itaque transgresso
ribus et sanctae religionis pacisque quam christus suis discipulis de
dit atque reliquit · uiolatricibus precepta dominica et apostolica
habemus quibus informamur quid de huiuscemodi preuaricato
ribus nos agere oporteat · Ait enim dominus in euangelio · Si
peccauerit in te frater tuus corripe illum · Fratres · in unum
quemque peccat nostrum · qui in sanctam ecclesiam peccat · Si enim